

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Peter Pechlin Bernhard Reder

## **Disputatio Ethica De Liberalitate Et Magnificentia**

Rostochi[i]: Pedanus, 1616

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729210979>

Druck Freier  Zugang



P. Pecklin : [Kop.:] B. Rheder.  
R. U. phil. 1616.



Disputatio Ethica  
LIBERALITATE  
ET MAGNIFICENTIA

*Quam*  
C U M D E O  
Permissu Facultatis Philosophicæ

P RÆSIDE  
M. PETRO PECHLIN  
Rostohiens. S. S. Theol. Studioſo,

P R O P O N E T  
BERNHARDUS RHEDERUS  
Rost. suis Collegis privatim 13. Aprilis loco &  
horis consuetis.



Rostochi

TYPIS JOACHIMI PEDANI, ACAD. TYPOG.  
ANNO M. DC. XVI.



V I R I S  
Excellentissimo, Clarissimo, & Consultissimo  
Dn. IOHANNI SIBRANDO  
I. V. D. & in celeberrima Rostochiensi  
Academia P. P.

Amplissimo & spectatissimo  
Dn. NICOLAO VVINEKEN  
Senatori Reipub. Patriæ meritissimo.

Reverenda dignitate, Praestantissimo,  
doctissimo  
Dn. M. JOHANNI CHRTSOLITO AD  
Div. Nicolai Rost. Pastorii vigilansissimo, fidelissimo.

N E C N O N

Dn. HENRICO V: MUNSTER AD D.  
Mariæ inspectiori dignissimo.

Dn. JOACHIMO SCHNOEKE L

Civibus Reipub. Patriæ primariis

Mecœnatibus, Fautoribus, amicis, & affinibus  
suis omni officiorum genere perpetuum colendis  
bonarum artium semper spectatoribus

Hoc exercitium Ethicum dicat consecrat offere

Bernhardus Rheder Rostoch. Respondens.



# DE LIBERALITATE SEV BENEFICENTIA.

## THESIS I.



I quid est, quod jucundas ac fructuosas reddere possit in Philosophia horas nostras, certè est id ipsum gratissimum virtutum obserium, quo ut nos, uti capimus, imbuamus penitus, ulterius in eo progreendiendum.

2. Hactenus ergò dum de virtutibus in specie egimus, & de ijs primum, quibus humana vita conservetur, hoc est, de illis, quibus q. homo internè se perficere posse, nunc de ijs, quæ externa respiciunt, agamus.

3. Sunt autem illa externa, circa quæ virtutes occupantur, bona, vel facultatum vel honorum: facultatum, quarum medium vel circa magnos, vel circa modicos sumptus versatur: circa modicos, & dicitur Liberalitas; circa magnos vero, & dicitur Magnificentia: circa honores, & est Magnanimitas & Modestia.

4. Liberalitas immediate Temperantiam sequitur ob hanc convenientiam, quam inter se habent. Quemadmodum enim Temperantia temperat concupiscentiam delectationum tactus, ita Liberalitas temperat cupiditatem acquirendi vel possidendi res exteriores.

5. Aequivocatio hic non usq; adeò trita, nisi valde abusivè cum velis dicere liberalē, qui sine circumstantia dat vel etiam ut comprehendat Magnificentiam id est ut versatur circa pecunias vel majores vel acquirendas vel conservandas, alijsq; communicandas: Est autem dicta, quod homine libero dignum sie  
alij

alijs benefacere, ut ait Camerer. Morales enim maxime im-  
tantur DEum, cum benefici sunt dicentem Strabonem testatur Dn.  
Sagittar. l. 2. exercit. Ethic. l. 2. quod Strabonis dictum congruit  
optimè cum illo, quod Demosthenē tribuitur à Max. serm. 8. t.  
Lycosth. inapoph. qui cum interrogatus, quid DEo simile habe-  
rent homines? respondit, Benigne facere.

6. Hinc bujus virtutis dignitas liquido constat: quid enim  
queso dignius est, quam Creaturam sequi Creatorem suum tan-  
quam Ducem, quo Duce quis non tutus erit?

No[n] 7. Hinc inter Cardinales virtutes accensetur;

8. Data occasione, quid virtutes Cardinales sint, & un-  
de ita vocentur, licet paulo alecnius hoc revocatum sit (venatorem  
enim cogit aliquando saltus avios subire, etq; ab itinere trito dis-  
cedere Scalig ex 143. f. 1.) videbimus.

9. Non autem prater rem querit Arm. de Bell. v. 7. cap.  
109. primò quare quatuor Cardinales virtutes (v. g. Justitia,  
Prudentia, Fortitudo & Temperantia) magis Cardinales di-  
cantur, quam aliae.

10. Ad quod respondet idem d. l. r. quod quasi generales  
virtutes. 2. q. principales: tertio, à Cardine Cardinales.

11. Primum quod attinet, latius explicat dupliciter con-  
siderando virtutes 1. modo, secundum omnes rationes formales,  
secundum quod ait dici Cardinales qui generales ad omnes a-  
liaas virtutes: utputa omnis virtus, qua facit bonum debiti &  
recti in operationibus, dicatur justitia: que cobibet passiones &  
deprimit, Temperantia: que facit firmitatem animi contra  
quascunq; passiones, dicatur Fortitudo: que ponit rectitudinem  
rationis in quibuscumq; actibus vel materijs, Prudentia.

12. Et hoc modo aliae virtutes continentur sub ipsis: &  
ex hoc iste Cardinales id est, generales vel Principales di-  
cuntur.

13. Alio modo considerari possunt, secundum quod iste  
virtut

Virtutes denominantur ab eo, quod est principium in quacunq; materia, & sic sunt speciales virtutes contra alias divise, & sic Cardinales dicuntur q. principales respectu aliarum, prepter principalitatem materiae: v.g. quod Prudentia dicatur principialis, quia est preceptiva: justitia, quia est circa operationes debitas inter aquales: temperantia quia reprimit concupiscentiam delectabilium tactus: fortitudo quia confirmat animum contra periculum mortis.

14. Terzio modo dicuntur Cardinales à similitudine, scilicet cardine ostij. 1. per similitudinem cardinis in quo motus ostij terminatur: De ratione autem ostij est, ut per ipsum interiora damus videantur. Et per oppositum illud, per quod non est motus in aliquid aliud, ulterius non habet rationem ostij.

15. Quia autem inter morales perillas quatuor est processus ad alias, quia omnes alias continent, tanquam generales speciales: & circa inter omnes morales solam ille quatuor cardinales dicuntur.

16. 2. Modo dicuntur per Similit. cardinales à similitudine cardinis, in quo ostium volvitur, & motus ostij fundatur: quia sicut totus motus ostij est in cardine, & in eo volvitur, ita omnes actus humanae vitaे continuè versantur, vel saltem frequentius, & crebrius circa materiam istarum virtutum quatuor, quam aliarum virtutum. Et ideo, sic cardinales à cardine dicuntur. d. l. idem. Et ita solvimus nunc debitum, quod alio jam loco desiderari haud possit.

17. Ad Liberalitatem nostram revertamur, virtutem scilicet mediocritatem servantem circa pecunias vel accipiendo vel dandas.

18. Unde differentia conspicua est ab alijs omnibus, que ex obiecto conspicitur: Nam circa quod datur excedere & deficerre, circa id versatur virtus: & qualis est defectus diversus & excessus, talis etiam virtus. Subsumptio facilis est: Unde con-

*Ita ex diversis objectis, & diversis modis versandi circa obiecta dari sufficienes virtutum differentias t. Acc. & veritate ipsa.*

19. *De genere res plana est, de quo generaliter generale loco est tractandum.*

20. *Objectum jam videndum; quod vel propinquum cupiditas nimirum pecuniarum; vel remotum, ipsa pecunia, inχειρα.*

21. *Veniunt autem h. l. dici χειρα latè accepto vocabulo, non pro numero saltem signato, sed pro omni rerum omnium suppellectile & abundantia: ita enim Philosophus ipse, χειρα ἡ λέγουσα πάντα ὄστων η ἀξία ψούση γαληνεῖται, quorum estimationem numerus metitur omnia ea pecunias dicimus l. 4. cap. 1.*

22. *Dicitur liberalis; inquit Casus l. 4. Etb. quest. c. 1. qui nudis vestem, qui famelicis cibum, qui egrotantibus medicinam dederit.*

23. *Differentia verò Specifica consistit in mediocritate dandi & accipiendo.*

24. *In dando ergo officium consistit, at non simpliciter: non enim verè liberalis quilibet qui confert aut dat beneficia, sed qui confert ut decet.*

25. *In accipiendo, quod 2. officium est liberalis, consistens in honorū legitima & honesta & digno homine digna acquisitione, & possessione; accipiendum enim est, ut unde dari possit, suppetat: unde Philosophus, oportet ut accipiat ex propriis videlicet possessionibus, non quia honestum id sit, sed quia necessarium.*

26. *Verè ergo liberalem determinamus qui honesti causa, recteque donabit nempe quibus oportet, & que, & quando & certa, que rectam donationem sequuntur tenet, idque jucundè & non gravatè, itemque accipiat unde oportet, vid. Philes. d. l.*

27. *Ex quo constat & hoc, ex habitu dare liberalern, quem  
& ipsum*

*E*s ipsum habitum dantis potius inspiciendum esse, quam datorum vel dignitatem, vel amplitudinem censemus cum Aristotele l. 4. c. 1. vel juxta græc. t. 3. Hinc pauperes liberaliores declarantur alii Luc. 21.

28. Et tantum de instructione dantis: jam consideranda quoq; est persona accipiētis, que qualis esse debeat, Cicer. 1. off. determinat, quarum personarum quadruplicem ordinem facit 1. sint boni viri h. e. virtute prædicti, quorum virtus digna præmio & mercede. 2. qui sanguine, aut alia necessitudine sint conjuncti. 3. qui vinculo amicis, vel politica consuetudine vel societate sint conjuncti. 4. omnes, qui de nobis benè meriti: nos addemus juxta fidei analogiam, etiam inimicis esse benefaciendum, quamvis id Cicero non dicat.

29. Quin & personarum respectu uni magis quam alteri, nam qui magis nobis est conjunctus, ei magis quoq; est dandum, binc magis parentibus, fratribus, quāmalienis.

30. Quantitas attendenda non minus est, quantum nimurum proficacitibus si dandum, & prodignite, & necessitate accipientis: vis summatim? quantum oportet ait Aristoteles. 1. 4. c. 1.

31. Qualitatis item, ut scilicet, beneficia accipienti prossint, noceant nemini: non ergo est beneficium dare gladium furioso vel ebrio vid. Philosob. p. 193. Et qualitatis hujus regula est optima, qua à Cic. 1. 1. off. est relata, Nihil, inquit, est liberale, quod non idem iultum: causam addit vir prudens paulo ante his verbis. Nam qui gratificantur cuiquam, quod oblit illi, cui prodeste velle videantur, non benefici, neglibentes, sed perniciosi affentares judicandi sunt.

32. Tempus observandum omnino etiam est à verè libera- li viro, ut cum det, cum res exigit, absq; omnis procrastinatio: hoc est quod Senec. 1. 3. de Benef. inquit, ingratum est beneficium, quod diu inter manus datus ha sit, quod quis agrè dimittere vi- sus es.

*Sic est, & sic dare, tanquam sibi eriperetur. vid. Donaldl. p. 193.*

*33. Deniq<sup>z</sup> Locus : qui ex honestatis prescripto mensuratur; ut honoris gratia collata beneficia fiant palam : egestatis sublevanda causa privatim ibidem. p. 194. contra hac peccabant Pharisei gloriabundi, qui à Christo refutantur Matt. 6.*

*34. Huic virtuti in excessu opponitur prodigalitas & avaritia, que vel simplex, vitium quod quaslibet temere facultates profundit sine ulla spe receptionis.*

*35. Hoc vitium peccat in eo, quod nimium & intempestivè det. 11. in eo, quod nihil recipiat: de quo Cic. 2. off. omnino meminisse debemus id, quod à nostris hominibus sapissimè usurpatum jam in proverbij consuetudinem venit, largitionem fundum non habere.*

*36. Vel Mixta: ab alijs per injuriam auferens, quod alijs immoderate tribuat. quo de Ciceronis locum vid. apud a. n. p. 197. quales fuissent Iulium Cesarem t. Catullo refert ibid. a. n. & Syllam t. Plutarch. in ejus vita.*

*37. Est autem hoc vitium imprimis familiare adolescentibus, qui raro querunt, quanti farris sit valor, sed potius in Veneres & Iunones conferunt talentum, quam in Platonem aut Aristotelem Praeceptorem numulum.*

*38. Est autem prodigalitas dicta à prodigendo, profunden- do, perdendo, dilapidando, quod prodigi neq<sup>z</sup> suas opes servent, neq<sup>z</sup> ipse servari possint.*

*39. Censor morum Diogenes preteriens prodigi cuiusdam aedes, inscriptionem habentes, venales facile, inquit, divinabam fore: ut præ immoda crapula domum evomeret t. Laert. l. 6 ostendere volens hac censurâ sua vitium longe esse gravissimum, moderationemq<sup>z</sup> suadens erogandarum rerum amissim.*

*40. In defectu est Avaritia & audejactio, in dando deficit, in accipiendo excedit. Aristoteles cap. 3. Hac qualibet corradit suum etiam defraudans genium.*

*41. Vitium*

41. Vitium hoc in primis familiare senibus, qui quod minus  
restat itineris, eò plus querunt viatici. Sagitt. l. 2. ex. eth. p. 197.

42. Avaritia, ut & prodigalitatis suprà, distinctio est in Simplicem, qua deficit in dando, & superabundat in accipiendo. Mixtam, que duplex dicitur: Est enim avarus superabundans in accipiendo & non deficiens indando; & talis concidit cù prodigo mixto. Alius est ex opposito, qui non superat in accipiendo, sed deficit in dando.

43. Hinc tria Avarorum genera Philosophus facit c. 3. d. l.  
1. in dando solum deficiens. Hoc virio præditos nominat Φειδωλοὺς & parcōs, γλυκὺς & tenaces, viscosos ( si proprie ) Metaphorice à rebus viscosis, que manibus adharent, cum tanguntur ista n. videntur pecunia eorum manibus esse adglutinata, ut non ab ipsis facilè ex torqueri & avelli possint, ut hoc γέα φικῶς apud Plaut. in Aulu l. depingitur in Euclitione, de quo sic servus:

Pumex non æquè est aridus, ut hic est senex.  
Famem herclè utendum si roges, nunquam dabit  
Quin ipsi pridem tonsor unguis demiterat,  
Collegit, omnia abstulit præsemina.

44. Hi solum dando deficiunt, accipiendo verò se se moderatè gerunt, non cupientes aliena bona per fraudem, aut per injuriā ad se trahere, & id faciunt, ut videantur homines justi. Ex hoc genere fuisse narrat Aristoteles unum qui in divisione hereditatis cuminum, minutissimum semen, secari voluit in duas partes, ne minus acciperet in hereditate, propter quod dictus fuit κυριονομίης cumini insecto, seu cuminiseca l. 4. c. 3.

45. In secundo genere avaros quos ponit Aristoteles, vocat αὐχεγνούς b. e. turpi lucro deditos, qui questus gratia artes illiberales exercent, nec vilum facinus recusant, si spes aliqua lucri affulgeat; hi in accipiendo excedunt, dum & undecang. & quodcumq; accipere non verentur, qui honestati & fame etiam vilissimum lucellum anteponunt; itaq; Aristoteles εἰνὶ τοῦτο σ. μισθώ b. e. qui

b. e. qui magna mercede i. e. damno & dedecore etiam parva la-  
cella redimunt, hos tamen Philosophus potius injustos, impios, &  
improbos dici, quam avaros d. l. putat.

46. Tertiū generis avaros qui & in dando & accipien-  
do modum excedunt, qui pauca scilicet donant majoris gratia,  
ut sunt adulatores & captores, quod genus q. θελαγη hoc est  
perfectum & ex omnibus virtutis compositum Job. Mag. in comm.  
super Eth. Arist. d. l.

47. A quo virtus Avaritia ab-horrere ac ab ipso inferno de-  
bemus, avari enim regnum DEI non possidebunt r. Cor. 6. v. 10.

48. Unde pio & justo zelo in avaros commotus Aug. dixit.  
Avarus vir inferno est similis. Infernus enim quantoscum, devo-  
raverit, nunquam dicit satis est. Sic & si omnes thesauri conflu-  
xerint in avarum, nunquam tamen dicit, satis est.

49. Avarus ut Nigidio placet dictus q. avidus eris, detrita li-  
tera e, quod pecunia inhibet, quemadmodum & locupletem idem dictu-  
vult ex compositionis vocibus, qui pleraq. loca, b. e. qui multas posse-  
ssiones tenet, quod melius esse deducit vult Gell. l. 10. c. 5, quam  
avarum dici q. eris avidum; ab aeo cum Gell. non facile avar-  
rum deduxerim l. d.

50. Φιλαργυρία Gracē dicitur, non in solo argento, un-  
de nomen duxisse resonat: Sed in omnibus rebus que immoderata  
cupiuntur, intelligenda est, que Aug. tribuitur l. 3. de lib. arbit.  
t. I. L.

Versus hos omnibus avaris dedicemus:  
Quid tibi divitiae, quarum si demiseris usum,  
Quamvis largus opum, semper egenus eris.  
Imò etiam poenae est partis incumbere rebus,  
Quas cum possideas eit violare nefas.  
tantum de hac virtute.

## DE MAGNIFICENTIA.

1. Hanc ut videamus quoque culmen q. liberalitatis est  
ipsarum.

ipsarum virtutum catena suadet: vidimus enim illam, que circa parvos sumptus, quam è vestigio sequitur, que circa magnos est. Magnificentia vocatur.

2. Est a. Magnificentia περιλογία (διὰ τὸ περιλόγησαν, magnitudine καὶ τὸ περιτελόν, decoro) virtus circa pecunias versans, non tamen in omnes, que ad pecuniam spectant, actiones: sed in sumptuosas tantum Aristot. l. 4. c. 4.

3. Praterquam quod differat Magnificentia à Liberalitate, quod in magnis sumptibus versetur, accedit, quod in dignitate quadam sit constitutus Magnus. Et hinc præclara in lucem edidit opera, alias à liberali non differret.

4. Ut vel hinc facile cernere possis. Et discernere inter hanc virtutem objecta. Versatur enim Magnus circa sumptus magnos, vel si mavis circa opera sumptuosa, in qua sumptus sunt: cuiusmodi sicut apparatus honorifici, donaria Deo exhibita, Et ea omnia, quae in cultu Et religione divina impenduntur, queq; in Rep. honestæ gloria causa exhibentur.

5. Hoc quod dixi explicat a. n. p. 202. Magnificentia, inquit, exigit, ut non tantū ipsum opus per se sit splendoris, sed ut etiam persona aliquid splendens operi addat, quod fieri nullo pacto potest, si operis auctor obscurus, aut sumptibus tanti operis impar reperiatur.

6. Decorum ergo in operibus observatur, si opera persone Et sumptuum magnitudini respondeant.

7. Opera Magnificentia sunt vel sacra, quae propter cultum divinum à magnifico inserviuntur, cuiusmodi sunt templum, anathemata, vestes sacræ, vasæ, reditus Ecclesiastici, Et similia.

8. Magnus certè Salomon fuit magno Et infinito apparatus templum Domini adificans i. Reg. 18. quo pertinent Academiarum fundatores, quos meritò in magno prezzo habemus. Et nunquam pares in referenda gratia esse possumus, ô uitam tanum grato agnoscemus animo, Et tales magnificas hereditates non-

ad e o superciliōsē aspernemur? Huc revocare etiam possis illos, quē  
in testamentis ante extremum vitæ sue halitum pecunias liberali-  
ter & magnificè donant pro scholarum & Ecclesiarum subsidiis,  
& pro illis, qui in his laborant, qui eodem pio animo stipendia in-  
egenos legant, quorum post vitam ac semper existit memoria, cu-  
jus quanta exstigit semper utilis fructus, paulò post in questioni-  
bus velificabimus.

9. Vel Profana, quæ à Magnifico propter cultum civilem  
instituuntur, & hec vel publica, quæ in publicum usum & com-  
modum à Magnifico sunt.

10. Tales plurimi Imperatores, aliq; magnifici, partim  
urbes fundasse, & instituisse, partim revocasse, restaurasse, &  
ornamentis ac rebus necessariis locupletasse leguntur apud quo-  
vis historicos, quos hic recensere vetat propositum nostrum.

11. Vel privata, quæ ipsum Magnificum & suos spectant,  
qualia sunt adficia privata magnificè exstructa, vasa, vestes &  
suppellex aurea, ac argentea, horti amœni, & hujus generis alia.

12. Et hactenus quæ spectavimus hujus virtutis intra cæcel-  
los suos se continentis, præstantiam, nunc quoq; vixi ejus sordes,  
si ad unguem latum à suis hijs territoriis deviet & cessabit.

13. Modum ergo excedens hujus virtutis Luxus est, quod  
tum sit, cum in res viles vel non necessarias profunduntur inuti-  
liter sumptus, solius ostentationis gratia.

14. Committitur autē hoc vitium tribus modis. I. respectu  
subjecti, ut si in solecat luxuriosus, sumptus maximos in res par-  
vas faciēs. II. respectu forme, ut quando in modo exhibitionis pec-  
catur. III. respectu finis, ut quando luxuriosus affectat Magnifi-  
centiam non necessitatis, aut honestatis publicæ causa, sed ostenta-  
tionis, & jactantis gratia; cum contrā honestatis gratia facere  
debeat, siquidem ut commune hoc est omnibus virtutibus, Philoso-  
phus l. 4. c. 4.

15. In defectu est Sordes, seu modicitas puerorum in de-  
cora.

*cora parsimonia in magnis operibus faciendis: seu uitium in sumptibus magnis, in decore deficiens.*

16. *Et hoc itidem tripliciter committitur. I. respectu temporis, ut si quis nimis constanter sumptus faciat. II. respectu modi, ut quando quis cum gemitu sumptus magnos facit. III. respectu termini, ut si quis magnos sumptus fecerit & demum in fine deficiat, non enim tum sunt sumptus largiter, hoc est copiosè & sufficienter.*

*Magnificus ergo est cum magnos sumptus rebus magnis accommodat: unde secundum magnifica & admirabilia versatur magnificus, de quo tantum dixisse sufficiat.*

## Q V A E S T I O N E S.

### I.

#### *An liberalitas sit virtus?*

*Verum esse, quod dicitur, nihil tam absurdum, quod suos defensores non inveniat, in praesenti quausto appareat: Hac enim in Stoia fertur contra quaustum nostrum objectio. Omnis virtus est constituta in recto. At recto nil potest esse rectius. Ergo virtute non potest dari virtus perfectior. Major indeclarata non abeat, omnis virtus constituta est in recto h. e. nulla virtus vel in excessum vel defectum peccet, necesse est: ( licet quidam defectus vel excessus potest interdum melius ad mediocritatem redigi) Ad minorem hinc respondemus Recto nil potest esse rectius scilicet Mathematico, at bene Ethico. Sic actio ejus, qui ex affectu misericordiae erogat egeni pecuniam, recta est, cum ratione sit consentanea: at qui eandem pecuniam ex intensiori misericordiae affectu confert in egenum, ejus actio rectior est & excellentior. Nec in bono, quod bonum est diversa formalis ratio, sed una: at in bono tamen gradus est, id est, bonum majus bono altero, pro ut circa nobilius & præstantius objectum versatur: datur etiam homines alij alii deteriores.*

teriores. Ergo unus etiam altero melior. Valet enim bactenus in  
contrariis paribus, esse eandem rationem.

## II.

### An liberalitas & Magnificentia differant specie?

Sunt qui dicunt specie esse unam virtutem Magnificentiam & Liberalitatem, sunt qui contraria dicunt specie dissidentes. Quare quid sit specie differre, prior determinandi est. Specie differre plerique, Ethici dicunt objectis differre Donat Acciajoli dicit illa quoque specie differre: que licet eandem pro objecto habeat materialia diversa tamen ratione & modo circa ipsam versentur. Secundum priorem definitionem specie non possunt differre, quia objectum est idem, scilicet generale: nec tamen potest esse una virtus, que & Magnificentia dicitur & Liberalitas, utpote multis modis differunt i. Specialiter, quia circa objectum non eodem modo versantur, Magnificentia quippe tantum circa magnos sumptus, seu magna opera, quod vel ex nomine constat, que praterea refertur ad duo, scilicet ad id quod agitur, & ad personam. Liberalitas vero se extendit ad omnes actus pecuniarios. Secundum definitionem autem Acciaoli possunt differre specie: At si obstabis, magis & minus non differre specie: reponet, non sufficere in his virtutibus, seu non tantum has virtutes differre ut majus & minus, sed accedere insuper rationem rectam. Ego a. malum esse distinctionem ex natura rei, quae est alietas extremorum convenientium in aliquo extremonrum, convenientium in aliquo ex natura rei sibi invicem comparatorum orta ex proprijs rationibus formalibus extremonrum & non ex actu collativo intellectus adeoque circumscripta omni operatione intellectus adhuc distincta sunt.

Hic se notatis simul difficultas tollitur, que movetur etiam & Magnanimitate & Modestia, & planè coincidunt.

## III.

### Utrum Liberalitas magis versetur in dando quam accipiendo?

Libera-

*Liberalitatis officia ex duobus cernuntur secundum Philosophum l. 4. c. 1. scilicet dando & accipiendo: nec frustra est quod dicit in accipiendo; Nam dare nequit nisi accipiat: accipere autem debet unde oportet. Quare in postulando non importunus, nec accipiat ut possideat & magnos sibi thesauros cumulet, sed ut alijs beneficiat. Quaritur a. in praesentia, utrum beatius? Respondeo, si inter se invicem comparentur, utique dare praeferatur quam accipere, quod hisce rationibus probatur. i. à genere.*

*Nam omnis virtus consistere dicitur in agendo magis quam patiendo. Ergo & liberalitas. Consecutio bona, à genere enim ad species V. C. hactenus verè. 2. Ius pecuniae poscit: Nam pecunia est ex illarum rerum numero, quarum est aliquis usus.*

*Acceptio vero pecunie nuda est possessio. 3. Honor ex templo parata est danti, non vero accipienti, quod est accidens commune virtutum. 4. Omnis virtus in difficultate posita: at dare difficultus (vel fateantur solum avari Eucliones) quam accipere. Et quia omnia ponderosa argumenta ponere potest præ chartæ angustia. Sed queramus ulterius.*

#### IV.

*An pauca dans tam possit esse Liberalis,  
quam qui multa?*

*Metitur vulgus ex quantitate, non qualitate opera, hoc est magnitudinem pecunie ponderat, habitum nil curat nec animum. At non ita est? Cur alias essentia virtutis consistere dicitur in mediocritate objecti circumscripta extremis. Cujus ergo objectum est præstantius, & magis ille liberalis, & liberalior dicitur. At magis præstans videtur esse actio in dando externe quam possidendo habitu. Ergo. Verum esse posse sapere liberalio rem pauca dantem, quam plura vel solum ipsius Christi calculum probat Luc. 21. v. 2. utpote animus sapere pronior ad benefaciendum, etiam si exiguo se exerat numulo. Unde etiam est vulgaris maxi-*

*m. 5.*

ma. Liberalitas non est æstimanda quantitate eorum quæ dantur; sed animo dantis. Hinc Senec. l. 3. de Beneficent. Imperatoris corona & vestis, & currus, nibil horum honor est, sed honoris insigne. Ad argumentum respondetur. In virtutum quidem cultude cere observari mediocritatem habita tamen ratione circumstantiarum: servatur enim in virtute medium non Arithmeticum sed Geometricum.

## V.

### An stipendiorum largitores sint liberales an Magnifici dicendi?

Non facilè emerget quorum virtutibus obstat  
Res Angusta domi

Recl è Poëta àsseruit, & sanè experientia qnotidiana si in testimonium trabatur, quis contradicere posse? Res literaria hoc nostro tempore seculum ferreum nacta est, adeò multos invenit ossores sui, & invidos, olim olim seculum fuit argenteum ubi ades Honori atq; Virtuti gemellas junctim locarunt, nunc pro benefactoribus male compensatores invenis, raros, qui liberalium disciplinarum pretia persolvant. Nunc avarum est seculum, in quo plèrig; ditiones unicè in hoc desudant, ut liberis residuum tantùm relinquant, de pauperum studiorum studiorum promotione vel ne semel cogitant, ut vel solum hinc virtutibus & felici studiorum cursui præclusa sit via. Sed his etiam plèrumq; accidit, ut quod sine prudentia iniquè dispensarunt, sine prudentia etiam dispergatur, heredes adeò prodigos inveniunt, quam illi fuerunt parciores. Sunt tamen, quamvis raro contingat, artium liberalium fautores viri Ethici & prudentes, qui pauperrimis studiosis ad ineunda studia suis sumptibus autores & adjutores sunt, quos non tantum benedictio diuina in hac vita beat, ut omnia felicissimus peragantur, sed etiam baredes, si vestigia antecessorum

fi deli-

fideliter legunt, etiam uero mōda sequitur, & sic felicitas parentū redit sapè ad filios. Horum perenni fama pennā fertur: (ut poëta loquitur) sed nō jam in laudes excurrā, nec utilitatē amplissimā, quā adiuti multi studiosi, ad virtutū & studiorū culmen pervenerunt, & ita ex angustijs, quib⁹ res domi angusta erat, ad Reip. & Ecclesie cymbam evecti sunt. non referam tales viros; sunt jam multi Clarissimi. Questionem quod attinet, non potest esse obscura ex thesibus. Liberales sunt quidem omnes Magnifici, qui instatū & dignitate praeminentē constituti, sed non contrā, omnes Liberales Magnifici sunt, ut pote Liberalitas latior est, circa exiguos sumptus erogandos disponendosq; occupata, non respectū persona vel dignitatis admittens. Potest ergo stipendiorum largitor esse liberalis, si fuerit persona non usq; ad excellens, & qui modicum legat stipendum, & dignus laude: At Magnificus, si velic secundum prescripta sui objecti agere, magnificè debet erogare & aliquantò liberius. Et sic stipendiorum datores quomodo & liberales & Magnifici possint dici, breviter est determinatum.

Quum pluris adhuc pagina capax sit, jubet hanc questionem quoq; aspergere.

An bonā conscientiā Lutherani parentes suos liberos ad scholas Iesuitarum ablegare possint?

Non uno nomine peccant parentes, imo vix parentum nomine salutandi, qui exuta omni cōq; erga liberos suos naturales, eosdem ad forum illud, vel potius furnum nequitia & impietatis, scholas illas Suiticas, vel Esaviticas puto, ablegant, sibi optima qua-  
g; de suis filiis promittentes: at itane plane iutum inter Leones & medios inter Lupos versari putent filios, ut nihil inde periculis eis oriri posset? Scribit Solin. de Leana, quod cum tribus vicibus circumierit hominem, hominem se amplius movere non posse: Jesuita sanè Leones sunt, imo vel his deteriores, non quidem cor-

porales sed spirituales (Leo enim ipse Diabolus vocatur scriptura,  
style 1. Petri s. v. 8. & omnes heretici ejus sunt organa) & pro-  
prie a sumo studio ab his cavendum nobis; Hi Leonis illis similes, qui  
cum feme Lutheranum circumierint, statim imponent, si secunda  
vice, aut terciâ, planè compendio ad Tartara dejectient. o soli vel  
hi parentes nesciunt quid mali quotidie nostris cervicibus immi-  
tere moliantur: Schola eorum monstrum est non uniforme, sed  
centiforme à Satana ipso confarcinatum, à Furiis induratum, &  
velut Pandora, orbi Christiano obtrujum, ut pij quivis, & si  
fieri posset, etiam electi, ab hoc non aliter ac à Libero patre con-  
specto, aut capite Medusa abjecto in homines nefarios & pestem  
Germania velut circeâ virgula convertantur, & commutentur.  
Quare neminem, cui modò sinciput sanum, puto ad hanc institu-  
tionem Esaviticam consilium daturum, vel nisi planè temerarius-  
sit, aut etiâ in Jesuiticum jurarit ordinem. Rem quoq[ue] vel hinc  
quibus est in filios vestros potestas penitus. introspicere: Vos au-  
tem qui probatis hanc escam Suiticam, quid Deo responsuris sitis,  
mature videte, quibus pro salute filiorum vigilare dedit & serio-  
jus sit. Non est quod temerarios & male sanos politicos novellos  
auditis, quisolam intentionem bonum opus integrum, ef-  
ficere posse ajunt. At non ita! velim hic audiant Dei judicis sen-  
tentiam, qui olim Iudeos religioso sancte fatis animo suos libeross  
Moloch immolantes, tamen gravissime se eos puniturum denun-  
ciat Jerem. 7. v. 32. c. 19. v. 6. 2. Reg. 16. v. 3. c. 21. v. 6. Vide mi-  
hi, hi cultum se putebant præstare Deo, & tamen dicebat illis Deus  
vos in oculis Iehova malum fecisti. Omnia hic respondent, qua-  
re diversa illatio esse non potest. Quia illi alio vento & typhone mo-  
ti movet, in disputationis actu videbimus Sed tanum lubet de hac  
quaestione: qui plura velut, videat epistolam germanicam Cl. Theo-  
logi Doct. Georgij Miliij p. m. ad Christianos Livonia, Polonia, &  
Prussia &c. missam, cui premissæ sunt bine orationes M. Sagis-  
tarij Jena habita in solemnibus promo-  
tionibus.

C. 1

# Corollaria.

I.

*An sint Liberaliores qui suo labore pepererunt divitias, an verò qui ab alijs partes accepere: Nos posterius volumus.*

II.

*An Liberalis dives maneat, facileq; di-  
sescat? verior Aff. erit.*

III.

*An affectus in voluntate? N.*

IV.

*An homo secundum Temperamentum  
propendeat ad virtutes singulares? N.*

V.

*An nova species in natura progigni que-  
ant? Videbimus.*

VI.

*An virtutes intellectuales sint Cardinales?  
N. Plato*

Plato sua è Republica Poëtas ejecit ; ita  
etiam ex nostra amo veri possunt. At si Viloso-  
phantes hinc inferant, Ergo nullus Poëta fe-  
rendus est. Quid ad hoc ? idem ille pari So-  
phismate assumet : Nolite judicare, Matth. 7.  
v. 1. Ergo nec hereticos condemnate. Et, si pra-  
occupatus fuerit homo in aliqua offensa, vos  
spirituales reconcinnate eum spiritu lenitatis  
Gal. 6. v. 1. Ergo in hereticos non licet debac-  
chari.

Hoc quia exercitij gratia propositum est,  
Dominis collegis solvendum jam linquo, &  
quo fallacia fuso sit obductum, nunc  
non detego.







Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
rosdok/ppn729210979/phys\\_0024](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729210979/phys_0024)

DFG

fideliter usq[ue] etiam n[on] m[od]o sequitur, & sic  
dit ap[er]tus ad filios. Horum perenni fama pennā  
guitur) sed nō jam in laudes excurrā, nec utili  
adjuti multi studiosi, ad virtutū & studiorū cu  
& ita ex angustijs, quib[us] res domi angusta erat  
cymbam evecti sunt. non referam tales viros si  
risimi. Questionem quod attinet, non potest e  
bus. Liberales sunt quidem omnes Magnifici,  
tate p[re]minentia constituti, sed non con  
les Magnifici sunt, ut pote Liberalitas latior  
sumptus erogandos disponendosq[ue] occupata, n  
vel dignitatis admittens. Pote ergo stipenda  
liberalis, si fuerit persona non usq[ue] ad e[st]e  
cum legat stipendum, & dignus laude: At N  
secundum prescripta sui objecti agere, magnifi  
aliquantò liberius. Et sic stipendorum dator  
ales & Magnifici possint dici, breviter est d  
Quam pluris adhuc pagina capax sit, jubi  
quoq[ue] aspergere.

## An bonā conscientiā Lutheran os liberos ad scholas Iesuitarum re possint?

Non uno nomine peccant parentes, im  
mine salutandi, qui exuta omni s[ecundu]m erga libe  
cosdem ad forum illud, vel potius furnum neq[ue]  
scholas illas Suiticas, vel E[st]avaticas puto, ablega  
g[er]e de suis filiis promittentes: at itane planē t  
& medios inter Lupos versari putent filios, u  
eis oriri possit? Scribit Solin. de Leana, quid  
circumierit hominem, hominem se amplius  
Jesuita sanè Leones sunt, imò vel his deterior

C

